

**JOHANNES NARDIUS,
FLORENTINUS,**

De

**PRODIGIOSIS VULNERUM CURA-
TIONIBUS.**

MAxima calamitas est, ubi solvitur humani corporis compages. Unum illud est: similarium partium, & instrumentalium coalitu, utriusque continuationis solutio bellum interminatur. Jure proinde meritoque studuere hucusque mortales nullumq; non lapidem moverunt, quô inductum malum quàm citissimè averruncarent. Veteres longam institerunt viam, cujus pertæsi recentiores, compendiosiore excogitarunt ad præstigium usque. Sola aqua, preculis nonnullis additis, Hispani Psalmadores medentur vulneribus quibus supparasitatur nescio quis D. Balatius. Armarium unguentum superiori seculo introduxit Paracelsus Helvetius, cujus descriptionem primus evulgavit Jo. B. Porta in sua Magia Naturali. Usus nomen præscripsit; tela namque oblinunt, quibus homo fuit saucius vulnere misso, quin absente multa ad milliaria ipso vulnerato. Majore sagacitate corradebat super Tribunus quidam militum linteamina, quæcunque sanguis infecerat, hisque se clanculum, mederi sanctè affirmabat; Multùm, diuque rogatus vix tandem suis fautoribus revelavit arcanum: erat verò Cyprium Vitriolum, quo linteamina statis horis saliebat, ne marcescerent (ut suspicor) situmve contraherent. Jactant singuli propria experimenta, & quæ misera temporum est conditio tanquam pro aris & focis dimicans, scinditur incertum studia in contraria vulgus. Vivebat dudum apud nos Chirurgus, qui vulneribus confutis, pellionum ad instar nullum pharmacum admovebat, vixque ovi albumine rosaceâ diluto superposita splenia, arctèque juncta per vices rarissimas irrorabat: quanquam suborti vermes sæpè cogebat malè sanum hominem tam strenuæ curationi renunciare.

Quæ insania respicit novitium placitum Cæsaris Magati illustre vel solo patrocinio L. Galeno. Quibus enarratis ex injuncto sibi officio Ser-vius, conticuit, nobis dicendi præbens ansam. Multi profectò multa dicebant:

Gggg 3

cebant: